



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

4. Et iracundæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

& sese spectantium oculis ostentat. At cùm squalidos pedes intuetur, mox picturatam illam rotam contrahit, stellatámque eandem, pudore suí, demittit. Facerent & feminæ, si meminissent sordium, quibus nunquam satis purgantur. Sapienter Theophrastus dicebat: sub formosa specie, quam multa turpia delitescunt! In adagiis est: *mulier laudata pavone superbior*. Repetimus ex Juvenalis Sat. 6. quod alibi attulimus.

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extensis magnos committit elenchos.

Graviter Tertullianus lib. de habitu mulier. c. 4. Habitus feminæ, ait, duplicum speciem circumfert, cultum & ornatum. *Cultum* dicimus, quem mundum muliebrem vocant; *Ornatum*, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro & argento, & gemmis & vestibus deputatur: iste in cura capilli & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis. Non possum facere, quin hic exhibeam picturam pavonis Junonii ad vivum expressi. Contemplare. Nobilis ac dives est hæc puellæ, amplæ familiae spes, & heres unica, quò meliore forma fulgens, hoc fastu vaniore turgens. At ecce illam! commodum ab rheda illa inaurata prodit, imago ad speculum ficta, officina deliciarum, exemplar levitatis absolutum. Cernis, ut tumet vanitatis simulacrum, ut se circumspicit superba, ut se venditat arrogans, ut collum erigit, gressumque frangit, oculosque torquet circumcumquaque, non tam ut videat, quam ut videatur. Viden', ut purpuream trahit cum ostentatione lascivæ, defluentem luxuriâ tunicam auro, gemmisque radiatam: ut detracto molliter crispo bombycino à leviculo vertice, protendit, jactatque cerviculam; ut capillos ambitiosius comptos, cincinnatosque velut in cedarim, hinc inde sparsos explicat, levissimæque ventorum agitationi permittit, quasi captans ab aura gloriolam. En ut niveæ splendent armillis manus, ut aures micant inauribus aureis, ut collum gemino torque rutilat, ut crebro coma scintillat adamante, ut malæ sunt cerussatae &c. Pinxit hanc tabellam, non absolvit Franc. Pomey in Candidato Rhet. pro-gymn. 9.

IV. (d) *Pavo*, præterquam quod superbum sit animal, facile irritatur, & in obvios iracundè involat. Quid irritatus hoc genus Junonibus? Capillus unus non ad legem compositus, cibus non ad palatum conditus, unguis digitii male sectus, catellus imprudenti pede calcatus,

janua

(d) Et iracunda.

janua cum stridore clausa , samium vasculum rimâ pertusum , emota loco suo acicula , synthesis non satis à sapone candens , cyclas minus decorè in plicas aptata , ruga in mappa mensæ instrata , superi ! quas non rarò tempestates in his dominis excitant ! quantûm effervescunt , quantum spumant ! quam tonant & fulminant , totamque à sedibus imis domum evertunt ! Malè illi , qui contrâ mutire ausit , Ardet bile jecur , quæ non in famulos duntakat ac famulas , sed in maritos quoque effunditur & evomitur . Hic bonus vir , si sapit , palliolum suum humeris pacatè injiciet , & silente pede se tecis efferet , ne novus Socrates novam Xantippen sentiat . Atque hos animos addit feminis genus & opes ; ad quæ si accesserit forma , tum enim verò actum est de imperio . Cede Junoni Jupiter , & alicubi *Sosiam* age ; domina cœlum obtinet , & regnat . Hinc à pedibus & officiis ancillaribus est ei Iris , Thaumantis (ab admiratione sic nominati) filia alata , versicolore cultu ; quodque fuit Mercurius Jovi , hoc erat Iris Junonis nisi quod Mercurius ad concordiam , Iris ferè ad discordiam curandam mittitur , ut observat Jac. Pont. in 5. Aeneid. v. 606. & lib. 9. v. 2. Juxta illum Iris , quasi *ēris* , *lis* , vocatur , quanquam alii ab *ēgen* loqui malunt deducere . Nempe qualis hera , talis pedisequa , admirationem à superba forma & colore vestium vario quærens ; de quo Virgil. 4. En.

Mille trahens varios aduerso sole colores .

Prompta ad rixas concitandas : loquax ad sermones differendos : levvis , vaga , volatica .

(e) Volebam hic præterire anserem , Junoni sacratum nisi importuno clamore suo se proderet , & vellet dici . Loquacitatis hanc avem esse symbolum , quis nescit ? Admittamus igitur Junonis inter pedisequas inquietum animal , & collum ejus sublime applicemus ad Junonium , quem exagitavimus , fastum ; streperam verò linguam garrulitati , doti feminarum propriæ , dicemus , dedicemus . Illud in anserino genere lepidum est observatu ; cum per januam quantumvis altam volucris hæc ingreditur , inclinat caput , ne scilicet illud ad postes superiores impingat . Nempe collum longiusculum putat esse colossum Rhodium , aut equum Trojanum , quem portarum angustiæ non capiant . Genius hic est superbiæ , præsertim feminineæ , quæ cum caput crinitis affidicat turribus , cœlum sibi vertice tangere videtur .

V. (f) Per pavonem opulentia symbolum homines denotari dicitur , Pierius testatur : & ideo pavo consecratus est Junoni , quod divisa-

K k k 3

tia-

(e) Cur anser Junoni sacer (f) Ala pavonis & pedes .